

stra, inter quae & illud numerandum, quando p. 23. *Theologos nostrates Pontificiis eam similes esse dicit, ut nec lac laeti similius esse possit.* Angelorum visiones iactat. Profitetur namque p. 104. *Dei angelos omnibus vere internis hominibus familiarissimos.* Hominem internum describit, quod sit ille, qui credit, & cordis sui fiduciam in Deo unice & penitus collocat. Exterior ipsi vocatur, qui edit, bibit, audit, ambulat, stat, laborat, & varia corporis opera edit, p. 142. Praecipuum Christiani studium esse pronunciat, ut dispersas animi potentias, imaginationem autem quam maxime, quasi infantes in plateis observantes, in domum cordis colligamus, contrahamusque, sicque cogamus, ut consuefaciamus animum a rebus sensibilibus feriri, & soli Deo vacare. p. 157. & p. 158. Scribit: non posse contempti ministerii accusari, qui ruminacione, & auditu interno externum praecipit obsignare &c. Talem in *Mysterio Iniquitatis* se praestitit. Nec modestiorem se gerit, & saniorem, in *Vindiciis* eiusdem, Werdenbergio oppositis. Quae, procul dubio, causa est, quamobrem responsione easdem dignatus fit. Iudicet nunc unusquisque, praeiudicatis haud fascinatus opinionibus, num dignus ille sit, qui inter innocentes & probos (*redlichen*) referatur. Quod facit Arnoldus in *H. E. & H. P. II. L. XVII. c. VI. §. n. p. 481.* Sed hoc non miror. Erat enim eiusdem & ingenii & doctrinae, cuius ipse est Arnoldus. Illud miror, ab aliis eius adscribi nomen potuisse viris, de regno Christi praecclare meritis. Quo encambio tamen reliquis Arndtii Apologetis annumeratus est Breithauptio, in *Program. Select. n. VII. p. 86.* Animo namque a Ministerio Ecclesiastico plane fuit alieno. Quod odiisse proprium solet esse Fanaticorum. Et quod magis est, Besoldum tantum non ubique transcritbit, eiusque asperiora, in Ecclesiam Lutheranam, dicta sua facit, quem corpore quidem, non mente, Lutherum fuisse, scandalosa ad Pontificios defectio declaravit. Tandem tamen in agone constitutus, & conscientiae vexatus terroribus, opem implorare ministerii debuit, quod tot convitiis, dicteriorisque, prosciderat. Decumbens namque Hamburgi, aliquem ex divini verbi praeconibus, qui delictorum se imperitiretur venia, vocari iussit. Accessit M. Nic. Staphorstius, eidemque ad animum gravissime revocavit Ministerii contempnum.

Tum